UNIVERSITY OF TORONTO
3 1761 01593831 9

PA
4276
L844

# INDEX SCHOLARVM

QVAE

SVMMIS AVSPICIIS

REGIS AVGVSTISSIMI

# G V I L E L M I

IMPERATORIS GERMANIAE

IN

VNIVERSITATE FRIDERICIA GVILELMIA RHENANA

PER MENSES AESTIVOS ANNI CIƆIƆCCCLXXXIV

A DIE XVI MENSIS APRILIS

PVBLICE PRIVATIMQVE HABEBVNTVR

INEST EDVARDI LVEBBERTI
COMMENTATIO DE PINDARO CLISTHENIS SICYONII INSTITVTORVM CENSORE

BONNAE

TYPIS CAROLI GEORGI VNIV. TYPOGR.

PA
4276
L844

LIBRARY
AUG 16 1962
UNIVERSITY OF TORONTO

806211

# RECTOR ET SENATVS

## VNIVERSITATIS FRIDERICIAE GVILELMIAE RHENANAE

## CIVIBVS

## S.

### 1. Theologumena Graecorum, in speciem blanda et venusta, saepe e gravibus animorum discidiis orta esse.

Mythologiam Graecam populariter et extrinsecus contemplantibus facila ita videatur: eam sine labore et aerumna ex fecundissimo populi ingenio ortam esse, tanquam florem sponte sua natum, qui nullo curante sola agri fertilitate nascatur. Rem accuratius investigantibus longe secus apparebit, χαλεπὸν τὸ καλόν. Nulla est particula, ne tantilla quidem, rerum divinarum apud Graecos, quae non auctoribus summo labore et meditatione constiterit, quae non gravium certaminum et acris animorum contentionis vestigia ostendat. Neque eius rei causa obscura esse potest. Reputemus, quantae in Graecia populorum migrationes, quam continuae rerum publicarum conversiones factae sint; his saepe diiunctissima olim religionum elementa subito in proximam vicinitatem coacta sunt. Inde diutina et cruenta certamina nata sunt, quorum nos tantummodo reliquias, festivissimas illas et pulcherrimas, videmus, immemores plerumque, quantis ex odiis et animorum aerumnis ortae sint. Antiqua enim dogmata et theologumena ut aliqua ratione cum noviciis coirent, in incudem revocanda erant, flando feriundo nova reddenda; haud raro dissociabilia socianda qualitercunque tamen erant, quorum hiantia volnera etiamnunc persentiscas. Atque interdum sanguine et armis dimicatum est.

Talium certaminum memoria plerumque obscurata est, nonnunquam tamen inquirentibus ultro se offert. O. Muellerus, Orchomenos [2] p. 184 pulchre enarravit, quibuscum difficultatibus Apollinis cultoribus dimicandum fuerit, cum primum eius dei cultum in Graeciam adferrent. Velut gens antiquissima Phlegyarum ad internecionem cum deo novicio proeliata est; cruentorum certaminum memoria ex antiquarum fabularum poesi tanquam remotae tempestatis murmur resonat. Nota sunt quae de Phlegya et Phorbante veteres auctores tradunt, quemadmodum illi cum exercitibus Apollini bellum intulerint, dei cultores et ministros occiderint, templum sanctissimum combusserint. Paus. 9, 36, 2

οἱ Φλεγύαι . . . ἦγον καὶ ἔφερον τοὺς προσοίκους· τέλος δὲ καὶ ἐπὶ τὸ ἱερὸν συλήσοντες στρατεύουσι τὸ ἐν Δελφοῖς, ὅτε καὶ Φιλάμμων λογάσιν Ἀργείων ἐπ' αὐτοὺς βοηθήσας αὐτός τε ἀπέθανεν ἐν τῇ μάχῃ καὶ οἱ τῶν Ἀργείων λογάδες.

## 2. Phlegyarum atrox cum Apolline bellum.

In antiqua Phlegyarum theologia eius populi heroes pari iure et auctoritate, atque Apollo sunt, et ut iusti aemuli Apollini obnituntur, quod in veteri poesi hac imagine exprimitur: Phorbantem, luctandi arte ferocem, Apollinem ad monomachiam provocasse. Et obsecutus est provocationi Apollo maiestatemque suam ipso experimento probavit. Schol. Il. Ψ, 660 Φόρβας ἀνδρειότατος τῶν καθ' αὐτὸν γενόμενος, ὑπερήφανος δέ, πυγμὴν ἤσκησεν, καὶ τοὺς μὲν παριόντας ἀναγκάζων ἀγωνίζεσθαι ἀνῄρει, ὑπὸ δὲ πολλῆς ὑπερηφανίας ἠβούλετο καὶ πρὸς τοὺς θεοὺς τὸ ἴσον φρόνημα ἔχειν. διὸ Ἀπόλλων παραγενόμενος καὶ συστὰς αὐτῷ ἀπέκτεινεν αὐτόν· ὅθεν ἐξ ἐκείνου καὶ τῆς πυκτικῆς ἔφορος ἐνομίσθη ὁ θεός. ἡ ἱστορία παρὰ τοῖς κυκλικοῖς. Eius rei ad Ovidium usque manavit rumor. Ovidius narrat Ceycem regem oraculo egentem non Delphos, sed Clarum coactum adiisse, quod ipso illo tempore Delphi Phorbantis oppugnatione peregrinantibus occlusi fuerint, Ovid. Met. 11, 413 *ad Clarium parat ire deum: nam templa profanus || invia cum Phlegyis faciebat Delphica Phorbas.* Insignem Phlegyarum erga Apollinem furorem luculenter testatur fabula de aede Delphica ab illis combusta. Schol. Il. ν, 301 p. 365, a, 38 πλείονα δὲ τολμῶντες ἀδικήματα κατὰ Διὸς προαίρεσιν ὑπὸ Ἀπόλλωνος διεφθάρησαν. οὗτοι δὲ ἐνέπρησαν καὶ τὸν ἐν Δελφοῖς ναὸν τοῦ Ἀπόλλωνος. ἡ ἱστορία παρὰ Φερεκύδει. Phlegyas ipse propter filiam ab Apolline compressam iratus igni in Apollinem saeviit, qua de re Servius testatur ad Aen. 6, 618 *quod pater dolens incendit Apollinis templum: et eius sagittis est ad inferos trusus.* Locus est pulcherrimus apud Vergilium, quo Phlegyam apud inferos poenas luentem finxit. Exclamat ille Aen. 6, 620 *discite iustitiam moniti et non temnere divos.* Simili, ut Phlegyae, audacia Myrmidones quoque antiquissimis temporibus Apollini restiterunt. Eius rei documenta in Pyrrhi potissumum, Achillis filii, fabulis apparent. Non temere est, quod Pyrrhus quoque templum Apollinis in finibus Sicyoniorum combussisse dicitur, Paus. 2, 5, 5 τοῦτόν γε τὸν ναὸν Ἀπόλλωνος εἶναι λέγουσι, καὶ ὅτι Πύρρος κατακαύσειεν ὁ Ἀχιλλέως αὐτόν.

## 3. Sicyone Adrasti divinos honores, ut Eridis pomum, rempublicam diu sollicitam tenuisse.

Fuerunt igitur tempora, quibus ferro et igni de deorum suorum principatu populi inter se certarent, nam licet divina luce carerent, antiquissimi tamen illi ex intimis praecordiis phantasmata sua diligebant. Posterioribus temporibus cum mitiores mores fierent, non vi et ferro, sed animi et mentis armis theologiae discrimina disceptata sunt: alter-

cando, disputando, ratiocinando. Atque nunc unam huius generis controversiam exempli causa paullo accuratius illustrare in animo est, ut quomodo antiqui theologi simultates suas exercuerint, in clariore luce collocetur. Eius contentionis, quae per aliquot saecula animos hominum magnis utrinque stimulis exagitavit, theatrum Sicyon urbs fuit. In ea de Adrasti herois vi, natura, dignitate ita certatum est, ut pugnandi strepitum et clamores hodieque ex testium vocibus percipiamus. Et sunt sane luculenti testes: Pindarus, Herodotus, Pausanias, Eusebius alii. Huius igitur caussae maximo studio et spiritu actae summa haec est. Adrastum, Talai filium, Biantis nepotem remotissima iam antiquitas ut regem Sicyonium legitimum novit. In Iliade β, 572 Agamemnonis regnum complectitur καὶ Σικυῶν', ὅθ' ἄρ' Ἄδρηστος πρῶτ' ἐμβασίλευεν. In Thebaide, quod carmen Pausanias 9, 9, 5 post Iliadem et Odysseam maxume laudabile iudicat (ἐπαινῶ μάλιστα), haud dubie Adrasti apud Sicyonios commoratio et regnum memorata erant. conf. Thebaid. cycl. reliquiae ed. Leutsch p. 50. Adrastus Polybi, clarissimi regis Sicyonii (Soph. O. R. 941 ὁ πρέσβυς Πόλυβος) nepos et gener est; eius igitur regnum, si quod unquam, legitimum est; Herod. 5, 67 ὁ δὲ Ἄδρηστος ἦν Πολύβου θυγατριδέος, ἄπαις δὲ Πόλυβος τελευτῶν διδοῖ Ἀδρήστῳ τὴν ἀρχήν. Schol. Pind. Nem. IX, p. 494 init. Ἄδρηστον φυγεῖν εἰς Σικυῶνα καὶ γῆμαι τὴν Πολύβου θυγατέρα.

### 4. Adrastum Dorienses Sicyonios ut dominationis suae praecursorem et signiferum veneratos esse.

Hunc igitur Adrastum, in epica poesi celebratum, Sicyone eximio studio suum fecerunt et omni honorum genere excoluerunt Dorienses Sicyonii, qui ducibus Heraclidis, inprimis Phalca, Temeni filio, Argis egressi Sicyonem venerant. Adrastus eis τὰ πάντα erat; eum ut praecursorem et signiferum, ut legitimi principatus auctorem divinis honoribus venerabantur. Nemo, qui non satis attenderit, quantopere Adrasti nomen Doriensibus palladii instar fuerit, illa recte aestimare poterit, quae postea Clisthenes tyrannus ad Adrastum expellendum molitus est, qua de re locus est clarissimus et eruditorum curis celebratus apud Herodotum 5, 67. Mirum videri possit, quod huius herois nomen tantopere Doriensibus in deliciis fuerit. Res sane altioribus paullulum radicibus nititur, itaque copiosius nunc de hac materia exponendum est. Notum est, Heraclidis et Doriensibus cum Peloponnesum occuparent, hoc maxume cordi fuisse, ut civitates a se captas non vi tantum et armis, sed vetusti cuiusdam iuris, seu foederum seu hereditatis, titulo fretos sibi subiecisse viderentur. Itaque multae fabulae in hunc finem excogitatae sunt. Apparet in his fabulis quasi versutorum causidicorum quoddam acumen, nam omnes eo tendunt, ut veterum incolarum animi novis dominis concilientur et ut eorum obsequium tanquam debitum legitimis principibus officium flagitetur. Quamquam cum ea audias, facere vix possis, quin fabulae Phaedrianae in mentem tibi veniat de miluo, qui columbis contionatur. Sed quamquam fortasse non tantam ad persuadendum vim ista habuerunt, tamen

Dorienses magna arte has fabulas excoluerunt, inprimis opinor ut sibi ipsi satisfacerent, ne in aliena regna ut praedones involasse, sed ut ius tantum suum peregisse dicerentur.

## 5. Poetarum veterum de Heraclidarum et Dorum migratione carmina. Pausaniae locus II, 18, 4—7 unde haustus videatur.

Pulcherrime hoc Odofredum Muellerum coniecisse arbitror Orchom. [2] p. 328 et p. 330 lin. 15 (coll. Doriens. I[2] p. 52 sqq.), fuisse antiqua carmina epica, quibus Doriensium in Peloponnesum invasio descripta fuerit. In eis maxume hoc actum esse, ut ubique, quo iure muniti quamque civitatem Dorienses cepissent, indicaretur. Atqui haud dubie apparet, in his carminibus Herculis in Peloponneso rerum gestarum et veterum genealogiarum frequentissimam memoriam esse debuisse. Poetarum, qui de Doriensium migratione scripserint, carmina Herodotum novisse, pridem observatum est; Herod. 6, 52 Λακεδαιμόνιοι γὰρ ὁμολογέοντες οὐδενὶ ποιητῇ λέγουσι, αὐτὸν Ἀριστόδημον . . . ἀγαγεῖν σφέας ἐς ταύτην τὴν χώρην, τὴν νῦν ἐκτέαται. Clarissimus in hoc poetarum genere fuit haud dubie Cinaethon Lacedaemonius, qui Genealogias scripsit et Heracleam. cf. O. Muellerum, Doriens. I[2], 51 et II[2], 460, et H. Gelzerum, Mus. Rhen. vol. 32, lin. 4; denique, qui optime de Cinaethone adversus Welckerum disputavit, Marckscheffelium: Hesiodi, Eumeli, Cinaethonis al. fragm. p. 246. Iam vero cognitu dignissimum hoc est, apud Pausaniam loco praestantissimo 2, 18, 4—7 nos habere talium fabularum, quibus occupationis Doricae legitima vis et quasi iuris altioris fundamenta exponuntur, collectionem quandam, quae etiamsi non ex ipso Cinaethone fluxerit, tamen fontem haud dubie habet mythographum aliquem, qui usus sit Cinaethonis opere. Cinaethon ipse ibi commemoratur in re ad genealogiam pertinente Paus. 2, 18, 6 τὸν δὲ Ὀρέστου νόθον Πενθίλον Κιναίθων ἔγραψεν ἐν τοῖς ἔπεσιν Ἠριγόνην τὴν Αἰγίσθου τεκεῖν. In hoc igitur tractatu Pausanias data opera exponit, quo iure Dorienses Peloponnesi civitatium principatu potiti sint. Atque de Argorum legitima possessione (de Argis autem ibi potissumum loquitur) plane se convictum et persuasum profitetur Pausanias 2, 18, 7: Ἄργους μὲν δὴ καὶ τῆς ἐν Ἄργει βασιλείας ὀρθότατα, ἐμοὶ δοκεῖν, ἠμφισβήτουν, ὅτι ἦν Πελοπίδης ὁ Τισαμενός, οἱ δὲ Ἡρακλεῖδαι τὸ ἀνέκαθέν εἰσι Περσεῖδαι.

## 6. Quibus paene causidicorum artificiis Dorienses se legitimos Adrasti successores et heredes esse demonstrarint.

Haec iam ut in usum nostrum convertamus, quaeritur nunc, quo iuris titulo Dorienses in Sicyonia occupanda usi sint, et quas in eo iure definiendo Adrastus partes egerit. In hac re primum quidem unum planissume constat: Adrastum ut Polybi nepotem et generum legitimum regem Sicyone fuisse. Sed non satis hoc erat, Adrastum legitimum vi-

deri; accedere illud debebat, ut Heraclidae demonstrarent, quomodo ipsi legitimi eius successores essent. Atque haec quidem res tota pendet ex genealogiarum ratione. Est haec disciplina sane paullo abstrusior et intricatior, sed in eam nunc necessario penetrandum aliquantisper est, quoniam ipsi veteres tantum ponderis his rebus inesse voluerunt. Accedit, quod istis temporibus genealogiarum tabulae et cognationis gradus tam noti in volgus erant, ut pueris eos digitis enumerare facile fuerit. De regum Argivorum vetustissimorum rebus optimum ducem sequemur Pausaniam in illo loco supra allato 2, 18, 4. Tres in Argolide regnaverunt regum familiae: Proetidae, Melampodidae, Biantidae. Paus. l. c. μόνους δὲ Ἑλλήνων οἶδα Ἀργείους ἐς τρεῖς βασιλείας νεμηθέντας. Eius divisionis etiam in Iliade vestigia clare cognoscuntur Il. β, 565 τοῖσι δ' ἅμ' Εὐρύαλος τρίτατος κίεν. Ex his familiis duae, Biantidae et Melampodidae, sine subole mari defecerunt; e Biantidis postremus, Cyanippus, Aegialei filius, orbus moritur; e Melampodidis postremus, Amphilochus, Amphiarai filius, ad Amphilochos emigrat; Paus. l. s. ἀπὸ μὲν δὴ Βίαντος βασιλεύουσι πέντε ἄνδρες ἐπὶ γενεὰς τέσσαρας ἐς Κυάνιππον τὸν Αἰγιαλέως . . ., ἀπὸ δὲ Μελάμποδος γενεαί τε ἕξ καὶ ἄνδρες ἴσοι μέχρις Ἀμφιλόχου τοῦ Ἀμφιαράου. Quo factum est, ut integrum iam rursus regnum Argorum in Cylarabam Proetidarum postremum, Stheneli filium, Capanei nepotem, transiret; Paus. 2, 18, 5 τὸ δὲ ἐγχώριον γένος οἱ Ἀναξαγορίδαι (qui eidem sunt, atque Proetidae) βασιλεύουσι πλέον . . . Ἀμφιλόχου . . . μετοικήσαντος ἐς τοὺς νῦν Ἀμφιλόχους, Κυανίππου δ' ἄπαιδος τελευτήσαντος, οὕτω Κυλαράβης ὁ Σθενέλου μόνος τὴν βασιλείαν ἔσχεν. Sed ne Cylarabes quidem filium suscepit, quo factum est, ut Argorum regnum vacuom relinqueretur, quo iam Orestes potitus est; Paus. l. s. οὐ μέντοι παῖδας κατέλιπεν οὐδ' οὗτος, ἀλλὰ Ὀρέστης . . . τὸ Ἄργος κατέσχε.

Pelopis posteros Argorum regnum non iure, se opportunitate arrepta cepisse, inter omnes constabat; sed quaeri potuit, ad quos tandem illud iure pertinuerit et quibus hereditas illa adeunda fuerit. Responsum eis certe, qui harum fabularum thesaurum probe nossent, ne punctum quidem temporis dubium esse potuit. Proeti olim frater Acrisius fuit. Acrisii nepos Amphitruo, pronepos Hercules. Extincta igitur Proeti stirpe, Herculis posteris Argorum regnum debebatur. Sicyonem porro unus e regibus Argivis optimo et indubitato iure possederat, Adrastus, Talai filius; quid igitur magis ad iuris amussim accommodatum videri potuit, quam ut Heraclidae, Adrasti vestigiis incedentes, Sicyonem sibi reposcerent? Hisce iuris praesidiis fretus exortus est Phalces, Temeni filius, qui Iunone Prodromia, quae vocatur, praeeunte et ducente nocturno impetu Sicyonem cepit; Paus. 2, 6, 7 Φάλκης δὲ ὁ Τημένου καταλαβὼν νύκτωρ Σικυῶνα σὺν Δωριεῦσι . . . Καὶ Δωριεῖς μὲν Σικυώνιοι γεγόνασιν ἀπὸ τούτου καὶ μοῖρα τῆς Ἀργείας, et Paus. 2, 11, 2 ναὸς Προδρομίας Ἥρας] τοῦτον γὰρ δὴ Φάλκης ἱδρύσατο ὁ Τημένου, τῆς ὁδοῦ οἱ τῆς ἐς Σικυῶνα Ἥραν φάμενος ὁδηγὸν εἶναι. Phalcam in regno secutus est Rhegnidas Paus. 2, 13, 1 Ῥηγνίδας . . . ὁ Φάλκου τοῦ Τημένου Δωριεύς.

7. Adrasti imago quomodo penitus Sicyoniorum animis infixa et inculcata sit.

Vidimus quo iure Dorienses Sicyonii Adrasti nomen ut pignus et palladium principatus sui coluerint. Nunc porro quaerendum est, quibus honoribus cum in rerum humanarum, tum in divinarum orbe memoriam eius prosecuti sint. Primum igitur heroum in urbis foro Adrasto consecratum fuit, Herod. 5, 67 ἡρώιον γὰρ ἦν καὶ ἔστι ἐν αὐτῇ τῇ ἀγορῇ τῶν Σικυωνίων Ἀδρήστου τοῦ Ταλαοῦ. Deinde Adrastus templi et sacrorum Iunonis Aleae conditor dicebatur. Paus. 2, 11, 2 τοῦ ἱεροῦ τῆς Ἥρας, ἣν ἱδρύσατο Ἄδραστος. Potissimum conferendus Schol. Pind. Nem. IX p. 493 extr., qui e Menaechmi Sicyonii Σικυωνιακοῖς hausit, ubi Adrastus, qui mos est temporum heroicorum, prope aedem deae habitasse dicitur: ἐβασίλευσε τῆς Σικυῶνος, καὶ τῆς Ἥρας τῆς Ἀλέας καλουμένης ἱερὸν καθ' ὅνπερ ᾤκει τόπον ἱδρύσατο. τὴν δὲ ἐπωνυμίαν ἔλαβε ταύτην τὸ ἱερὸν διὰ τὸ φεύγοντα τὸν Ἄδραστον ἱδρύσασθαι καὶ καλέσαι τὸ ἱερὸν Ἥρας Ἀλέας. τὸ δὲ φυγεῖν τινες ἀλᾶσθαι ὠνόμαζον. Ita enim hunc locum egregie e libro optimo Med. B. emendavit Tycho Mommsen in Progr. Moenofrancfurt. 1877 p. 9. Eodem modo prope Cererem Cadmus habitavit. Paus. 9, 16, 5 τὸ . . . ἱερὸν τῆς Θεσμοφόρου Κάδμου καὶ τῶν ἀπογόνων οἰκίαν ποτὲ εἶναι. conf. Paus. 3, 13, 3 de Carneo ὁ δὲ Κάρνειος . . . ἵδρυτο . . . ἐν οἰκίᾳ Κρίου τοῦ Θεοκλέους, ἀνδρὸς μάντεως. Deinde summus honor Adrasto inde petitus est, quod ludos Pythios, qui Sicyone agebantur, condidisse dicebatur. Notum est, in hac re postea Clisthenem Adrastum summo studio impugnasse; Clisthenes enim ad se hunc honorem vindicabat. Dorienses huius quoque publici decoris Adrastum auctorem perhibebant. Eorum caussae Pindarus patrocinatur, Doriensium omnino summus fautor, qui magnifice de Adrasto haec habet Nem. IX 11 ὃς τότε μὲν βασιλεύων κεῖθι νεαῖσί θ' ἑορταῖς || ἰσχύος τ' ἀνδρῶν ἁμίλλαις ἅρμασί τε γλαφυροῖς ἄμφαινε κυδαίνων πόλιν.

8. Apollinis aedes a Proeto Sicyone condita (Paus. 2, 7, 8) documento est, Adrastum, familiari vinculo cum Proeto coniunctum, ludos Apollinis Pythios instituisse.

Huius controversiae disceptatio quantopere antiquorum hominum animos moverit, ex scholiorum ad Pindarum copiis cognoscere licet. In eis Menaechmus, temporis diadochorum scriptor (cf. Suid. s. v. et C. Muellerum, 'fragm. scr. hist. Alex. M.' post Arrianum p. 145). cum Pindaro de hac re expostulat. Eorum argumentorum, quae in Adrasti favorem proferebantur, unum est, quod aliquam ad demonstrandum vim habeat. Vetus erat fama, iam ante Adrasti memoriam Proetum, veterem Argivorum regem, Sicyonem pervenisse; nam Proeti filiae, cum furibundae vagarentur, Sicyonem usque delatae fuerant et Sicyone demum a Melampode sanatae sunt. Itaque Sicyone ut dis grates ageret Proetus aedem Apollinis Lycii, qui et Pythius vocatus est, instituit. Pausanias posteaquam de Apollinis Pythii sacris piacularibus enarravit 2, 7, 7 Ἀπόλλων καὶ Ἄρτεμις ἀποκτείναντες Πύθωνα παρεγένοντο ἐς τὴν Αἰγιάλειαν καθαρσίων ἕνεκα, ita pergit de aede a Proeto condita

§ 8 ὁ δὲ ναὸς ἔστι μὲν ἐν τῇ νῦν ἀγορᾷ, τὸ δὲ ἐξ ἀρχῆς λέγουσιν αὐτὸν ὑπὸ Προίτου ποιηθῆναι. De eadem aede iterum Pausanias exponit 2, 9, 7, ubi Lycii Apollinis eam aedem vocari dicit: πλησίον δὲ Ἀπόλλωνός ἐστιν ἱερὸν τοῦ Λυκίου et § 8 ἐν τῷ ἱερῷ τοῦ Λυκίου . . . τούτου δέ εἰσιν εἰκόνες ἐφεξῆς χαλκαῖ· τὰς Προίτου θυγατέρας λέγουσιν εἶναι σφᾶς. Sicyone Proeti filias Lysippam et Iphianassam sanatas esse, Apollodorus quoque testis est 2, 2, 2, 7 Μελάμπους . . . αὐτὰς ἐς Σικυῶνα συνεδίωξε· ταῖς δὲ . . . σωφρονῆσαι συνέβη. Cum igitur Proeti apud Sicyonios tam frequens memoria esset et cum Apolline Pythio seu Lycio tam arcte coniuncta, Dorienses ita argumentati videntur: Proetum tanquam aliquem Adrasti praecursorem aedem Apollinis extruxisse, Adrastum ludorum equestrium et gymnicorum celebritatem addidisse. Accedebat quod Adrastus propter avi sui Biantis cum Proeti filia Lysippa (cf. Apollod. 2, 2, 2, 1 et Schol. ad Odyss. O, 225) matrimonium Proeto coniunctus erat. Apud Pindarum Nem. IX, 11 recte Adrastus non templi, sed ludorum tantum conditor vocatur.

9. Menaechmus Sicyonius quomodo de Pythiis Sicyoniis cum Pindaro expostularit.

Iam operae pretium est videre, quemadmodum Menaechmus Pindarum impugnaverit. Menaechmus Clisthenem post bellum Cirrhaeum, eius belli spoliis locupletatum, ludos Pythios Sicyone instituisse docuit, Sch. Pind. p. 492 init. Sed homo haud ineruditus (cf. Boeckhium ad sch. Pind. p. 492 extr.) noverat vetustam de Proeto famam. Quare licet in ea re, quae caput quaestionis esset, a Pindaro dissentiret, tamen non prorsus eum temeritatis damnavit, sed suas illum rationes paullo sane abstrusiores secutum esse sibi persuasit. Menaechmi verba (nam eius haud dubie sunt) nunc apud Boeckhium ex parte corrupta leguntur, Sch. Pind. Nem. IX, 25 p. 493 med. καὶ Κλεισθένης μὲν τὰ ἐν Σικυῶνι Πύθια διέθηκε πρῶτος, ἀνατίθησι δὲ τὸ ὅλον Ἀδράστῳ *καταδοθέντι, ἐπειδὴ καὶ διωρθώσατο αὐτὸς ὕστερον, καὶ ἄλλως ἐνδοξότερος ὁ ἀνήρ. Boeckhius scripturam καταδοθέντι ut conclamatam in medio relinquens de reliquis adnotat: *immanis imperitia recentioris cuiusdam interpretis, qui Adrastum post Clisthenem fuisse putaverit.* Hanc Boeckhi sententiam rectissime impugnavit Ty. Mommsen, Progr. Moenofrancf. 1877 p. 8, qui primum optime ex cod. Med. B edidit Ἀδράστῳ ὡς διαθέντι (cod. ὡς διατιθέντι). Hanc lectionem nunc probandam esse censeo, cum olim ὡς καταδοθέν τι coniecissem verae codicis optimi scripturae nescius. In reliquis Mommsenio assentiri non possum, qui ita construit: ἐπειδὴ καὶ διωρθώσατο αὐτὸς (ὁ Κλεισθένης) ὕστερον, καὶ ἄλλως ἐνδοξότερονς ὁ ἀνήρ (ὁ Ἄδραστος), quasi nimio brevitatis studio scriptor haec olim ampliora contrahendo obscurius locutus sit. Mihi Menaechmus cum dicit, Adrastum ὕστερον Pythia instituisse, respicere ad Proetum videtur, qui Pythiorum sacra primum condiderit, quae postea ab Adrasto ludorum apparatu et splendore aucta sint. Idem Menaechmus cum paullo supra dicit Sch. Pind. p. 493 ad v. 20, Pindarum poetica licentia usum esse: ἀνατίθησι . . . Ἀδράστῳ ποιητικὴν ἄγων ἄδειαν, nihil nisi hoc volt: Pindarum speciosiora, quam veriora sequi maluisse.

### 10. Dorienses cum choros tragicos a Baccho ad Adrastum transtulerunt, non omnino sine pia quadam fraude egisse.

Ad hos honores Adrasto a Doribus habitos cumuli tandem loco accessit tale genus venerationis, quod in media pietate impietatis culpam continere videri poterat, quoniam coniunctum erat cum alius numinis spoliatione et contumelia. De hac re luculentus testis est Herodotus loco clarissimo 5, 67, qui Sicyonios Adrastum eum in modum coluisse dicit, ut choris tragicis non, quemadmodum in reliquis Graeciae civitatibus mos sit, Bacchi fata et aerumnas canerent, sed ut omnem hunc apparatum in Adrastum transferrent eiusque fata poesi chorica prosequerentur. Her. 5, 67 τά τε δὴ ἄλλα οἱ Σικυώνιοι ἐτίμων τὸν Ἄδρηστον καὶ δὴ πρὸς τὰ πάθεα αὐτοῦ τραγικοῖσι χοροῖσι ἐγέραιρον, τὸν μὲν Διόνυσον οὐ τιμέοντες, τὸν δὲ Ἄδρηστον. Haec ut recte intellegantur, admonendum est, Sicyone quoque sicut in aliis Graeciae urbibus antiquitus Baccho choros tragicos dicatos fuisse, quod inde confirmatur, quod Herodotus continuo addit, Clisthenem Baccho hunc honorem „restituisse", l. s. Κλεισθένης μὲν χοροὺς τῷ Διονύσῳ ἀπέδωκε. Iam vero Doriensium illud inceptum, quo dei honores in heroem, ipsis sane dilectissimum, transtulerunt, nefarium et audax videri possit. Sed haec audacia, si accuratius rem intueare, re vera non tanta est quam primo adspectu videatur. In urbe Sicyone singularis quaedam caussa in promptu fuit, quae illam sacrorum Bacchi ad Adrastum transitionem satis proclivem redderet. Nam, ut statim demonstrabitur, Baccho apud Sicyonios cognomen „Adresti" fuit. Dorienses hac opportunitate, ipsis exoptatissima, usi pedetemptim progrediendo pro deo Baccho non nimis ipsis dilecto, quippe qui veterum incolarum numen patrium et populare esset, patronum suum substituerunt.

### 11. Clisthenes forti manu clavom adprehendens Adrasto adversarius exoritur.

Vidimus, quemadmodum Doriensium theologia ita Adrastum extulerit, ut prope iam dis immortalibus aequaretur et ut eius nomen cum totius rei publicae salute coniunctum summa auctoritate floreret. Convertamus nunc oculos in contrariam partem. Erat Sicyone stirps quaedam veterum incolarum, Ionum et Achaeorum, animi dotibus et sincero rerum divinarum cultu Doribus non inferior, sed armis et opibus a Doriensibus oppressa. Ea diu humi iacuit et dominorum principatum tacita toleravit. Sed exortus est Clisthenes Orthagorida (cf. Aristot. Pol. V, 12 p. 1315 et 1316; Plut. ser. num. vind. 7), ex veterum Aegialensium nobilitate oriundus. Herodotus manifesto eum e tribu non Dorica prodisse narrat 5, 67 πλὴν τῆς ἑωυτοῦ φυλῆς· ταύτῃ δὲ τὸ οὔνομα ἀπὸ τῆς ἑωυτοῦ ἀρχῆς ἔθετο. οὗτοι μὲν δὴ Ἀρχέλαοι ἐκαλέοντο. Clisthenes fortissima manu rei publicae clavom adprehendens, hoc potissumum per totam vitam propositum secutus est, ut Doriensium potentiam frangeret et vinculum, quod cum Argivis eis intercedebat, abrumperet. Vir autem singulari prudentia praeditus optime intellexerat, non gravius sauciari posse adversariorum

animos, quam si eum heroem, cuius nomen murus aheneus Dorum principatui fuerat, quantum fieri posset e civitate eiceret et memoriam eius e mentibus hominum radicitus evelleret. Luculenter profecto et praeclare Herodotus enarravit, quemadmodum Clisthenes Adrasto quasi bellum indixerit, ut ad hanc Doriensium arcem scalas admoverit, cuniculos egerit, quemadmodum ita nudatum et spoliatum eum reddiderit, ut miserandus potius, quam admirandus videretur. Primum igitur rem temptavit, num Adrastum e re publica uno ictu eicere posset. Oraculum igitur Delphicum adiit, sed deus Delphicus Doribus favens cum contumelia Clisthenem dimisit, Herod. 5, 67 ἐλθὼν δὲ ἐς Δελφοὺς ἐχρηστηριάζετο, εἰ ἐκβάλοι τὸν Ἄδρηστον· ἡ δὲ Πυθίη οἱ χρᾷ φᾶσα Ἄδρηστον μὲν εἶναι Σικυωνίων βασιλέα, ἐκεῖνον δὲ λευστῆρα. De vocis postremae significatu multum disceptatum est. Casauboni ληϊστῆρα non admittendum; apud Aelianum Hist. an. 5, 15 eadem voce tyrannus notatur Ἀπολλόδωρον τὸν Κασανδρέων λευστῆρα. conf. O. Muell., Dor. I$^2$, 164.

## 12. Welckeri palmare inventum de vetere quodam Bacchi apud Sicyonios cognomine "Adresti".

Quae praeterea Clisthenes ad Adrastum omni ratione vexandum instituerit, interim missa faciamus, quoniam notiora sunt. Nunc unum Clisthenis institutum accuratius contemplemur, de quo ita rettulit Herodotus, ut statim appareat, bonum historiae parentem ipsum non satis intellexisse, qualia essent, quae summa cum fide posteritati tradenda suscepisset. Herodotus enim mirabundus enarrat, quae si rem penitus perspexisset, haudquaquam mirifica futura erant. Clisthenes choros tragicos, qui ante eum e more Sicyoniorum Adrasti fata lugubria canebant, Baccho restituit; Her. 5, 67 χοροὺς τῷ Διονύσῳ ἀπέδωκε. Quomodo ad Adrastum chori illi unquam transferri potuerint, nullo verbo Herodotus indicat. Iam vero nostris temporibus Welckeri, viri eximii, acumine factum est, ut huius rei caussa in clarissima luce collocata sit. Welckerus in opere praeclaro "Griech. Götterlehre" I, 448 et III, 38 docuit, ab Adrasti Talai filii nomine distinguendum esse vetus Bacchi apud Sicyonios cognomen "Adresti". Huic igitur Baccho Adresto a Sicyoniis remota antiquitate choros tragicos actos esse, qui fata eius et mortem cecinerint. Progrediente deinde tempore Adrasti, Talai filii, nomen partim poetarum carminibus, partim hominum fama ad Sicyonios delatum esse ibique percrebuisse. Paullatim igitur, confusione orta, Adrasti herois nomen et imaginem ita in dei Adresti locum irrepsisse, ut etiam chori tragici, res maxume Bacchica, in Adrastum Talaionidam transferrentur. Adsensus est Welckero Bursianus, Geograph. Graec. II, 28 extr.

## 13. Clisthenes quomodo personatum Adrastum, Talai filium, fucatis honoribus expulerit, Bacchum Adrestum postliminio reduxerit.

Welckeri inventum dici vix potest, quam sit pulchrum et fructuosum. Sed antequam eo plene utamur, unus inde naevos removendus est. Welckerus vocem Ἄδρηστος infelici veriloquio ab Ἄδραστος distinguens illam repetit ab ἀδρός componitque cum Ἁδρεύς.

Etymol. Magn. p. 18, 36 ʽΑδρεὺς δαίμων τις περὶ τὴν Δήμητραν ἀπὸ τῆς τῶν καρπῶν ἁδρύνσεως. Hesiodus ἔργα v. 473 ὧδέ κεν ἁδροσύνῃ στάχυες νεύοιεν ἔραζε. Formam derivationis eandem censet, quae sit in δειπνηστός, δορπηστός. Sed hoc minus rectum. Ἄδρηστος nulla re ab Ἄδραστος differt nisi Ionismo. Apud Herodotum 1, 35 Phryx ille, qui Croesi filium Atyn occidit, cui nihil quidquam cum Baccho commune, Ἄδρηστος vocatur. Adrastus autem, id quod nemini dubium unquam dubium fuit, significat eum, cui nemo effugere, quem nemo cursu evitare potest. Dea clarissima est idem significans Ἀδράστεια, fati inevitabilis vis. [Aristot.] de mund. p. 401, B, 12 Ἀδράστειαν δὲ ἀναπόδραστον αἰτίαν οὖσαν. De urbe et terra Adrastea, in qua Adrastus regnat, Troianorum socius Il. β, 828: οἳ δ' Ἀδρήστειαν εἶχον καὶ δῆμον Ἀπαισοῦ || . . . τῶν ἦρχ' Ἄδρηστος. cf. Strabon. XIII, 586 et 588 Ἀδραστείας πεδίον et Marquardt, Cyzicus, Berol. 1836 p. 103; Baumeister, de Atye et Adrasto, Lips. 1860 p. 11. Ab eadem significatione, qua Adrastus vim significat inevitabilem ("ineffugibilem" vocat Appuleius de mundo p. 431 Hildebr. cf. Marq. p. 107), Adrestos cognomen Bacchi apud Sicyonios petitum est. Qui Penthei, Lycurgi aliorum fata reputarit, hoc nomen minime alienum a Bacchi natura iudicabit. Hoc si concedatur, iam illud egregie illustratur, quod Doricae factionis theologi Sicyone fecerunt: Adrastus Talaionida sensim substitutus est Baccho; mox etiam fata Adrasti pro Bacchi fatis cantata sunt. His omnibus perpensis Clisthenis quoque factum rectius diiudicabitur. Is minime caeco quodam impetu in Adrastum saeviit, quemadmodum secundum Herodoti narrationem videri possit; sed quod iustum erat, peregit: Adrastum fucato nitore spoliavit, Bacchum in sua iura et ornamenta postliminio redire iussit.

## 14. Doriensium dogmata nonnulla subtiliora de principum familiarum aetatis heroicae iure hereditario.

His rebus, quas modo enarravimus, et eis, de quibus Herodotus tradit, Clisthenes Adrasti auctoritatem graviter sane percusserat; sed hi ictus externa tantum decora feriebant. Adrasti imago altius in animis insederat, quare, ut funditus eius memoria expelleretur, ad imas radices securis admovenda erat. Adrasti autem memoria ea maxume re nitebatur, quod ex eius olim apud Sicyonios regno legitimo suae dominationis ius et originem legitimam Dorienses derivabant. Itaque plurimum semper curae in ea opera insumptum est, ut quam bene hereditario iure munitus ad regnum apud Sicyonios Adrastus accessisset, accurate ostenderetur. Adrastus igitur duplici propinquitatis vinculo Polybo regi coniunctus est: primum nepos est, nam Lysianassa, Talai uxor, Adrasti mater, filia est Polybi, Paus. 2, 6, 6 Πόλυβος Ταλαῷ ... Λυσιάνασσαν τὴν θυγατέρα ἔδωκε. deinde gener est Polybi, nam materteram suam, matris sororem natu minorem, in matrimonium duxerat, Sch. Pind. p. 494 init. Notum est, hoc saepius in hominibus temporum heroicorum inveniri, ut materteris copulentur. Docta est ea de re adnotatio in Schol. Iliad. λ, 226 ad Aristarchi διπλῆν. cf. Eustath. ad Il. p. 776, 63. Nec fugit res Valckenarium in adnot. ad Schol. Eurip. Phoen. p. 181.

### 15. Clisthenes quid molitus sit, ut dogma de Adrasti post Polybum regno legitimo everteret.

His igitur fabularum praesidiis munita erat Adrasti memoria. Sed hunc quoque murum machinis suis Clisthenes perrumpere ausus est. Erant Sicyone veteres regum indices, quibus regum nomina ab antiquissimis temporibus ad Heraclidarum usque adventum consignata erant. Hos fastos eum in modum immutare et novos reddere insituit, ut Adrastus a Polybo dimidiati saeculi spatio diiungeretur et ut de nullo iam inter hos viros propinquitatis vinculo cogitari posset. Hoc artificio id ipsum, quod Clisthenes ardentissime optabat, plane efficiebatur. Secundum hunc enim indicem Adrastus a veteribus Sicyoniorum regibus alienus erat et regnum apud Sicyonios non ut Polybi heres legitimus, sed ut raptor sceptri regii, invasione hostili facta, obtinuerat. Clisthenes igitur ut tanti moliminis rem perficeret, non temere nec cupiditate Adrasti exturbandi occaecatus, sed egregia, qua omnino praeditus fuit, prudentia propositum executus est. Fastos enim regios ita disposuit et supplevit, ut Sicyoniorum regum anagrapha omnium postea eruditorum, qui Graecis temporibus ordinandis operam darent, summum plausum ferret et ab omnibus ad tempora definienda adhiberetur. Apollodorus et Castor Clisthenis anagrapham in sua opera receperunt.

### 16. De eximio Frickii invento, quo fastos Sicyoniorum regum Eusebianos a Clisthene adornatos ostendit.

De hoc Clisthenis eximio merito ut recte nunc iudicari possit, id invento praestantissimo debetur viri inprimis sagacis et ingeniosi, Caroli Frick, qui in Fleckeiseni Annalium vol. 107 (1873) p. 707 sqq. ostendit, regum Sicyoniorum anagrapham, quam habet Eusebius, Clistheni deberi. Frickius Clistheni, ut haec moliretur, eam potissumum caussam fuisse censet, quod regum Argivorum, Agamemnonis et successorum, qui ante Heraclidas Sicyone quoque dominati sint, memoriam nominibus eorum e fastis sublatis oblitterare voluerit. Nam Clisthenes Argivorum odio flagrabat; deinde carminum antiquorum epicorum testimonio constabat, Agamemnonem olim Sicyone quoque regnasse, Il. β, 569 οἳ δὲ Μυκήνας εἶχον . . . ‖ καὶ Σικυῶν' . . . τῶν . . . ἦρχε Ἀγαμέμνων. Hanc ignominiam ut a Sicyoniis abstergeret, Clisthenem fastos Sicyonios immutavisse. Lubentissume sane concedo, hoc consilium Clistheni obversatum esse. Desunt enim sane in Eusebii anagrapha Sicyonia Hippolyti et Lacestadae Agamemnonis clientium nomina, et in eorum locum alia substituta sunt. Notum praeterea est, Homeri quoque carmina, quae tam ingratae rei testimonium quasi immortale continerent, ab Sicyoniorum republica Clisthenem relegasse. Sed accessit in Clisthenis animo ad hoc consilium alterum illud, quo non minus, opinor, immo magis etiam homo pungebatur: ut maxume sibi invisum adversarium Adrastum, Doriensium numen tutelare, legitimae in regno successionis gloriola spoliaret et notam ei peregrinitatis inureret.

17. Clisthenis anagrapha Sicyonia quantum apud veteres eruditos plausum tulerit cum aliorum tum Varronis exemplo demonstratur.

Iam igitur quomodo propositum suum executus sit Clisthenes, exponendum est. Fastorum regiorum Sicyoniorum nos duplex exemplar habemus: alterum, quod paullo brevius est succinctiusque, apud Pausaniam 2, 5, 5 ad 2, 6, 7; alterum paullo amplius nonnullisque nominibus auctius apud Eusebium Can. Chronic. p. 11—56 ed. Schoene. Eusebius p. 56 dicit, se sua ex Castore hausisse: *Castoris Chronographi de Sicyoniorum imperio.* Castor rursus Apollodori Atheniensis opere usus est, qui eundem, quem Castor Eusebio suppeditavit, ipse quoque regum indicem proposuerat; Syncellus vol. I, 183, 3 ed. Dind. ὁμοῦ τὰ πάντα τῆς Σικυωνίων ἀρχῆς ἔτη ,α, ὡς Ἀπολλόδωρος καὶ ἕτεροι, ἐν οἷς καὶ Εὐσέβιος, ἔγραψαν. conf. Hist. Graec. fragm. ed. Muell. I, 442 et Ioannem Antiochenum in eiusdem operis vol. IV, 547, 13 §. 3. Index regum, qui est apud Eusebium praeterea egregium testem nactus est M. Terentium Varronem, qui in opere "de gente populi Romani" cum alia regna vetusta, tum Sicyoniorum regum seriem enarraverat. Augustinus de Civ. Dei XVIII, 2 med. *Erat etiam tempore illo regnum Sicyoniorum admodum parvom, a quo ille undecunque doctissumus Marcus Varro scribens de gente populi Romani, velut antiquo tempore, exorsus est. Ab his enim Sicyoniorum regibus ad Athenienses pervenit, a quibus ad Latinos, inde ad Romanos.* Varronis ex hoc opere apud Augustinum Civ. Dei XVIII cap. 2—11 fragmenta, quibus regum nomina adferuntur, planissume cum Eusebio consentiunt, a Pausania vero haud dubie discrepant. Velut Augustinus 18, 11 e Varrone affert: *apud Sicyonios Marathus.* Ac Marathi seu Marathii nomen Eusebius habet vol. II, 27 ed. Schoene; item Syncellus I, p. 234, 1 ed. Dind. Σικυωνίων ιε' ἐβασίλευσε Μαράθιος ἔτη κ'. Apud Pausaniam 2, 6, 5 nullus est rex Marathus; nec de Marathone Epopei filio, a Pausania bis commemorato 2, 1, 1 et 2, 6, 5, cogitari potest, nam hunc Marathonem non regnasse clara voce testatur 2, 1, 1 Μαραθῶνα ... τὸν Ἐπωπέως ..., φεύγοντα ἀνομίαν καὶ ὕβριν τοῦ πατρός, ἐς τὰ παραθαλάσσια μετοικῆσαι τῆς Ἀττικῆς.

18. Praeter Clisthenis anagrapham aliam quandam vetustiorem, Pindaro probatam, in occulto viguisse. Clisthenis egregium de mille annorum spatio inventum.

Iam igitur Frickius optime ostendit, Pausaniae indicem fluxisse e volgari apud Sicyonios fama, quae licet Clisthenis index multorum, eruditorum potissumum, assensum tulerit, nunquam plane intermortua sit. Atque ab hac quidem parte Pindarus — πολλῶν ἀντάξιος ἄλλων — stetit. Alterius eiusque plenioris indicis originem ad Clisthenem revocandam esse. Vetustiores illi et populares fasti apud Pausaniam sine certa lege ex patriis apud Sicyonios fabulis compositi sunt; in Clisthenis regnorum tabula summa inest ars et doctrina. Eam igitur nunc accuratius nosse oportet, ut universam illam telorum officinam excutiamus, quibus Adrastum Clisthenes obruit. Indicis regum, quem Clisthenes confecit, duos potissimos fontes habemus, primum Eusebium in versione Armenia et Hieronymiana

in Schoenii praeclara editione vol. II p. 11—56, deinde apud Syncellum I p. 182—287. ed. Dindorf. Clisthenes igitur rem ita instituit, ut temporis spatium a primo primi regis Aegialei anno usque ad Heraclidarum, Phalcae potissumum, ad Sicyonios adventum mille annorum faceret. Syncellus p. 182, 3 ὁμοῦ τὰ πάντα τῆς Σικυωνύων ἀρχῆς ἔτη ͵α. et p. 287, 10 ὁμοῦ τὰ πάντα τῆς Σικυωνίων ἀρχῆς ἔτη χίλια. Antiquissimum igitur praedicat Syncellus Sicyoniorum imperium p. 181, 15 πρώτη καὶ πάντων παλαιοτάτη ἀνεγράφη ἡ Σικυωνίων ἀρχὴ, ἧς πρῶτος ἡγήσατο Αἰγιαλεύς. Hos mille annos ita distributos videmus, ut primum reges XXVI enumerentur, addito annorum, quibus quisque regnavit, numero. Hisce regnis, postremum autem est Zeuxippi regis, explentur anni 967. Sync. p. 182, 1 ἡ Σικυωνίων βασιλεία ἤρξατο ἀπὸ πρώτου βασιλέως Αἰγιαλέως, ἕως κϛ' βασιλέως Ζευξίππου, ἐπὶ ἔτη διαρκέσασα ϡξζ'. Relinquuntur igitur ex mille annorum numero anni 33. Eis triginta tribus annis secundum Clisthenem nulli reges fuerunt, immo sic instituta res est, ut qui eo tempore sacerdos Apollinis Carnei esset, universae Sicyoniorum reipublicae cum regia potestate praeesset. Eorum sacerdotum sex deinceps in summo magistratu videmus; septimus Charidemus primo magistratus sui anno, cum sumptum, quem fieri oporteret, tolerare non posset, effugit. Eodem hoc anno, quo Charidemus fugit, Phalces Heraclida Sicyonem occupavit.

### 19. Sex sacerdotum Carnei nomina in fine anagraphae posita documento sunt, Clisthenem cum sacerdotibus de anagrapha mutanda pactum esse.

De his sacerdotibus Carnei multorum testimonia extant: Sync. p. 182, 10 μετὰ δὲ τοὺς βασιλεῖς κατεστάθησαν ἱερεῖς τοῦ Καρνίου ἕξ. οὗτοι ἱεράτευσαν ἔτη λγ'. μεθ' οὓς κατεστάθη ἱερεὺς Χαρίδημος, ὃς οὐχ ὑπομείνας τὴν δαπάνην ἔφυγε. conf. Sync. p. 287, 8. Versio Armenia Eusebii vol. II p. 56 ed. Schoene: *Disposuimus singillatim Sicioniorum reges initium facientes ab Egialeo primo rege, et cessavimus in Zeuxippo. Reges tenuerunt annis 967. Postque reges sacerdotes Carnii constituti sunt sex, qui tenuerunt sacerdotium annis 33. Post quos sacerdos constitutus est Aridemus, qui sumptibus non subsistens fugitivus factus est.* Felicissimo hercle casu accidit, ut eorum sacerdotum omnium nomina et annorum, quibus munere functi sunt, numeros traditos habeamus duorum testium merito, primum in Excerptis ex Eusebii Chronicorum lib. I ap. Cramer., Anecd. Par. II p. 135, apud Schoenium vol. I p. 176, deinde in Excerptis Latinis Barbari apud Schoen. vol. I Appendicum p. 217. Excerpta Crameriana haec habent nomina cum annis sacerdotum p. 176 ed. Sch. ὧν πρῶτος ἱερεύσατο Ἀρχέλαος ἔτος α'... Αὐτομέδων ἔτος α'... Θεόκλυτος ἔτη δ'... Εὔνεος ἔτη ϛ'... Θεόνομος ἔτη θ'... Ἀμφιγύης ἔτη ιη'. ἕβδομος Χαρίδημος..., ἀφ' οὗ ἐπὶ πρώτην Ὀλυμπιάδα ἔτη τνα' (τνβ' A. de Gutschmid). Haec nomina primo adspectu nil quidquam lucri adferre videantur nec mirum sit, si quis tales quisquilias curantem cum eo comparet, qui Hecubae matrem et Anchemoli nutricem scrutetur. Sed non est ita. Primum certe nomen quantivis pretii est. Frickius enim in commentatione supra memorata pag 711 hoc quoque egregie coniecit, Clisthenem, cum fastorum regiorum immutandorum consilium agitaret,

pactum et foedus quasi cum Carnei sacerdotibus fecisse, quom hoc ei constaret, nisi sacerdotum comprobatio accessisset, ea quae moliretur, nunquam apud posteritatem rata futura esse. Atqui hoc pactum tale esse oportebat, quod sacerdotibus quoque utile et honorificum videretur. Quamobrem Clisthenes triginta illorum, qui post regum finem relinquebantur, annorum hunc usum illis proposuit, ut ipsorum vetustissimi illi collegae sex summam in republica dignitatem cum sacerdotio Carnei coniunctam tenuisse dicerentur.

20. Foedus a Clisthene cum sacerdotibus ictum stirpis et originum communione niti. *Archelai*, primi e sacerdotibus, nomen argumento est, sacerdotes ex *Archelaorum* tribu electos esse.

Haec Frickii coniectura mirificum in modum, quod virum eruditissimum ni fallor fugit, eius e sex illis sacerdotibus, qui primum locum obtinet, nomine Archelao confirmatur. Narrat enim Herodotus, Clisthenem e tribu non Dorica Aegialensium oriundum fuisse; huic suae veterum incolarum tribui, cum Doriensium tribubus nomina ridicula et contumeliosa inderet, Clisthenem honorificentissumum Archelaorum nomen fecisse, Her. 5, 67 ταύτῃ δὲ τὸ ὄνομα ἀπὸ τῆς ἑωυτοῦ ἀρχῆς ἔθετο. οὗτοι μὲν δὴ Ἀρχέλαοι ἐκαλέοντο. Hoc nominum consensu clare evincitur, Carnei sacerdotes a Clisthenis partibus stetisse. Illud quoque eadem opera satis certo colligere possis, ex veteri Aegialensium tribu Carnei Apollinis sacerdotes creari solitos esse. Erat autem hoc sacerdotium haud dubie in certis quibusdam familiis hereditarium. Totus hic locus de sex illis Carnei sacerdotibus tam fructuosus est, ut facere non possim, quin unam adhuc rem commemorem ad rerum sacrarum in Peloponneso historiam inprimis gravem. Sex illi sacerdotes Apollinis Carnei in illa apud Eusebium regnorum enumeratione in eo loco positi sunt, ut Heraclidarum adventum, Phalcae inprimis regnum, proxime praegrediantur. Hoc nunquam ita factum esset, nisi certo illis antiquis temporum dispositoribus constitisset, Apollinis Carnei cultum iam ante Doriensium adventum Sicyone floruisse. Confirmantur igitur nunc ea, quae O. Muellerus, Orchom. [2] p. 326 pridem praesagiente animo docuit.

21. Clisthenes cur tria vetustioris anagraphae regum nomina, Hippolyti, Lacestadae, Coroni, sustulerit et in suam anagrapham non receperit.

Clisthenes igitur postremos triginta tres anagraphae suae annos tanquam tributum debitum sacerdotibus Carnei, ut eorum sibi benevolentiam conciliaret, addixit. Iam quemadmodum ipsorum regum annos 967 disposuerit, videndum est. Pausaniae anagrapha nomina habet regum XXIII; Clisthenis index nomina XXVI. Primum Clisthenes duo nomina omisit, quae postremo loco Pausanias 2, 6, 7 posuit, Hippolyti et Lacestadae, qui Argorum regibus se subiecerant. Eorum regum nomina Clisthenem ex annalibus sustulisse, ut alienae dominationis ignominiam aboleret, rectissime coniecit Frickius in Fleckeiseni Annal. vol. 107 p. 708. Praeterea Coronum regem, quem vetus

apud Pausaniam 2, 5, 8 anagrapha habet, item sustulit Clisthenes, quod cur fecerit, non tam facile dictu est. Pausanias, qui omnino populares et patrias de regibus Sicyoniis fabulas e volgi fama laudabili studio collegit et servavit, Coronum Apollinis et Chrysorthae, Orthopolidis regis filiae, filium fuisse tradit, qui duos ipse filios Coracem et Lamedontem genuerit; Paus. 2, 5, 8 Ὀρθοπόλιδι δὲ θυγάτηρ γίνεται Χρυσόρθη· ταύτην τεκεῖν νομίζουσιν ἐξ Ἀπόλλωνος, καὶ ὁ παῖς ὠνομάσθη Κόρωνος. Κορώνου δὲ γίνονται Κόραξ καὶ νεώτερος Λαμέδων. Clisthenes Coronum sustulit, ut locum faceret regibus ab ipso intrusis, Marathio et Maratho. Haec nomina licet in vetustam regum anagrapham recepta non sint, popularia tamen et nota Sicyone fuerant. Eis haud dubie vetustum quoddam Sicyoniorum cum Atticis populis commercium significatur. De Marathone Eumelus cecinerat et eius fata et migrationes Pausanias enarrat 2, 1, 1 et 2, 6, 5. Clisthenes autem ex quo Agaristam filiam Megacli, Alcmaeonis filio, in matrimonium dederat, vetere illo Atticarum et Sicyoniarum fabularum conexu delectatus videtur. Itaque hos heroes ex parte Atticos Corono substituit. Iam igitur si in universum Pausaniae anagrapham cum Clisthenea apud Eusebium comparemus: tribus nominibus eorum, quae sunt apud Pausaniam, caret Clisthenis tabula; atque sex rursus inveniuntur apud Clisthenem, quae desunt apud Pausaniam.

22. Clisthenis inventum, quo mille annorum spatium coniunctis Sicyoniorum regum et sacerdotum regnis constituit, egregium veteris chronologiae fundamentum factum esse.

Sed non in ea profecto re acquievit Clisthenes, ut veterem anagrapham nonnullis nominibus interpolaret. Immo maius quid aggressus est. Clisthenes omnino hoc propositum secutus videtur, ut antiquae chronologiae fundamenta iaceret. Quare una maxume re Clisthenis anagrapha excellit: c o m p u t a t i o n i s  a r t i f i c i o; eo potissimum factum est, ut tantum apud eruditos plausum nancisceretur et chronologiae studiosorum animos in se converteret. Totum spatium a Sicyonis urbis primordiis ad Heraclidarum adventum mille annorum fecerat. Hoc spatium Clisthenes divisit in viginti sex regum regna annorum 967, et sacerdotum regnum annorum 33. In universum igitur regna sunt XXVII, in quae dividitur totum spatium. Iam si quaeras, cur hunc potissumum numerum Clisthenes stabilierit, verisimillimum videbitur, eum hoc fecisse eo consilio, ut regnorum numerus aetatium numero, quo opus esset ad mille annos explendos, accurate responderet. Mille anni si in 27 aetates dividantur, unaquaeque aetas annorum erit $37^{1}/_{27}$. Haec ratio sane non convenit plane cum Herodoti ratione, qui unam aetatem annorum $33^{1}/_{3}$ esse docet, Her. 2, 142 γενεαὶ μὲν τρεῖς ἀνδρῶν ἑκατὸν ἔτεά ἐστιν. Sed vetustiora ante Herodotum tempora amplioribus paullulum finibus aetates circumscribebant, neque in omnibus anagraphis idem semper singulis aetatibus annorum numerus tribui solet.

23. Ad mille annorum spatium explendum Clistheni aliquot regum nomina addenda erant. Ea nomina unde hauserit.

Iam vero opera danda est, ut in Clisthenis illa studia prorsus nos insinuemus, quibus hoc efficere cupiit, ut Adrastum cuius nomen a teneris unguiculis Sicyonii imbiberant, loco pelleret. Quare nunc regum seriem a Clisthene constitutam cum vetustiore illa apud Pausaniam accuratius contendamus. Ac primum quidem reges octo primi plane eidem sunt Pausaniae et Eusebio. Anni apud solum Eusebium additi sunt. Sunt igitur: Aegialeus annis 52; Europs a. 45; Telchin a. 20 (Syncellus p. 191, 9 κθ'); Apis a. 25; Thelxion a. 52; Aegydrus a. 34; Thurimachus a. 45; Leucippus a. 53. Iam nonus sequitur apud Eusebium Messapus a. 47. Syncellus p. 196, 10 Σικυωνίων θ' ἐβασίλευσε Μέσσαπος ἔτη μζ'. Hunc Varro apud Augustinum agnoscit Civ. Dei 18, 4 *Regnantibus Assyriorum decimo rege Baleo, et Sicyoniorum nono Mesappo, qui etiam Cephisos a quibusdam traditur.* Quaeri potest, unde Messapus in hunc indicem pervenerit. Sapit ille fabricam Clisthenis, nam e Boeotia sumptus est. Scimus autem Clisthenem mutuum fabularum inter Sicyonios et Boeotios commercium excoluisse. Eodem modo Melanippum heroem, Astaci filium, Thebis Sicyonem adsciverat, Herod. 5, 67. De Messapo Strabo IX, 405 ἐν τῇ Ἀνθηδονίᾳ Μεσσάπιον ὄρος ἐστὶν ἀπὸ Μεσσάπου, ὃς εἰς τὴν Ἰαπυγίαν ἐλθὼν Μεσσαπίαν τὴν χώραν ἐκάλεσεν. cf. O. Muell. Orch. [2] p. 18 et 92.

Et multa sane sunt locorum et rerum in locis nomina ambabus terris communia; ut nunc taceam de Asopo fluvio, inprimis notabilis est "Plataeae" pagus; nam novit Strabo Plataeenses Sicyonios, Str. IX, 412 init. ἔστι δὲ καὶ ἐν τῇ Σικυωνίᾳ δῆμος Πλαταιαί, ὅθενπερ ἦν Μνασάλκης ὁ ποιητής. Huc accedit, qua de re egregie exposuit Unger, Paradoxa Thebana p. 363 extr., quod Sicyon urbs quaedam in Boeotia memoratur, in qua ipsa quoque Pythia agebantur. Schol. ad Clement. Alexandr. vol. IV, p. 108 ed. Klotz: Χοιροψάλας Διόνυσος ἐν Σικυῶνι τιμᾶται τῆς Βοιωτίας, ὡς Πολέμων ἐν τῇ πρὸς Ἄτταλον ἐπιστολῇ. Eiusdem urbis Boeoticae memoria extat apud Sch. Pind. Ol. XIII, p. 288 init. ἡ Σικυών, ἔνθα ἤγετο τὰ Πύθια. τῆς Βοιωτίας δὲ ἦν αὕτη πόλις et ibid. ad v. 155 ἡ δὲ Σικυὼν Βοιωτίας, ἐν ᾗ τὰ Πύθια ἄγεται, quae Boeckhius ut „nimis imperita" delenda iudicat, recte vero defendit Ungerus l. s. Haec omnia suadent, ut Messapum a Clisthene, veterum Boeotiae luminum et decorum studioso, e Boeotia ad interpolandam veterem anagrapham accitum credamus.

# SCHOLAE

## SECVNDVM ORDINES DISCRIPTAE

### I. ORDINIS THEOLOGORVM CATHOLICORVM

*Professores ordinarii*

ANDREAS MENZEL Dr. *Publice* I. Encyclopaediam theologicam tradet bis p. h. h. IX. *Privatim* II. Theologiae moralis partem II tractabit quater p. h. h. IX.

FRANCISCVS HENRICVS REVSCH Dr. *Publice* I. De versionibus sacrae scripturae latinis et germanicis disseret diebus Merc. et Sat. h. X. *Privatim* II. Genesin enarrabit diebus Lun. Mart. Iov. Ven. h. X.

IOSEPHVS LANGEN Dr. *Publice* I. S. Pauli epistolas ad Thessalonicenses interpretabitur semel p. h. h. XI. *Privatim* II. S. Ioannis evangelium exponet quater p. h. h. XII. III. Historiae ecclesiasticae P. I quinquies p. h. h. XI.

HVBERTVS THEOPHILVS SIMAR Dr. *Privatim* I. Theologiae dogmaticae p. I docebit sexies p. h. h. VIII. *Privatim* II. Theologiae moralis p. II tractabit quinquies p. h. h. IX. *Privatissime et gratis* III. Exercitationes catecheticas moderabitur semel p. h. h. V.

HENRICVS KELLNER Dr. *Publice* I. Archaeologiam christianam docebit bis p. h. h. III. *Privatim* II. Historiae ecclesiasticae partem I enarrabit quinquies p. h. h. IX.

ANCISCVS KAVLEN Dr. *Publice* I. Libros Regum interpretabitur dieb. Lun. Mart. h. XII. *Privatim* II. Introductionis in Sacram Scripturam partem priorem tradet dieb. Lun. Mart. Iov. Ven. h. IV. III. Theologiae pastoralis partem alteram docebit dieb. Merc. Iov. Ven. h. XII. *Privatissime et gratis* IV. Exercitationes homileticas moderari perget d. Sat. h. XII.

### II. ORDINIS THEOLOGORVM EVANGELICORVM

1. *Professores ordinarii*

IOANNES PETRVS LANGE Dr. *Privatissime et gratis.* Hermeneuticen biblicam exponet bis p. h. dieb. Lun. et Mart. h. IX.

GVILELMVS LVDOVICVS KRAFFT theol. Dr. *Publice* I. Historiam ecclesiae aevi recentissimi ab anno huius saeculi XIV usque ad nostra tempora tradet bis p. h. d. Sat. h. IX et X. *Privatim* II. Historiae ecclesiasticae partem priorem usque ad Caroli M. tempora enarrabit quinquies p. h. h. X.

GVILELMVS IVLIVS MANGOLD theol. Dr. *Publice* I. Epistolam Iacobi semel p. h. die Saturni h. XI et XII. *Privatim* II. Epistolam ad Romanos datam quater p. hebd. dieb. Lun. Mart. Iov. Ven. h. XI interpretabitur. III. Symbolicen comparativam quater p. h. dieb. Lun. Mart. Iov. Ven. h. XII tradet.

ADOLPHVS HERM. HENR. KAMPHAVSEN Dr. *Publice* I. Seminarii theologici exercitationes ad Vet. Test. spectantes moderabitur. *Privatim* II. Librum Iobi explicabit quater p. h. h. VIII. III. Historiam populi Israelis narrabit d. Lun. Mart. Iov. h. XI. IV. Introductionem in Novum Test. tradet quinquies p. h. h. XII.

THEODORVS CHRISTLIEB theol. et phil. Dr. *Publice* I. Exercitationes seminarii regii tam homileticas quam catecheticas moderari perget d. Lun. et Merc. *Privatim* II. Theologiae practicae partem priorem h. e. principia, cultus evangelici doctrinam et artem catecheticam tradet sexies h. IX.

